JACOBUS PHILIPPUS GENTILE DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA...

Jacopo Filippo Gentile

PRÆFATIO

AD

CALENDARIUM

ANNI

—(1853)—



JACOBUS PHILIPPUS GENTILE

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS NOVARIENSIS

Universo Diœcesis Clero

Quum in eo sim, ut adventantis anni, qui felix faustusque, Ordinem Officiorum de more proponam, terna recentia sese vobis obtrudent. Primum Salvatoris Nostri charitatis plenam respicit orationem e monte habitam antequam iniret dolorum viam, quos pro omnium salute est perpessus V. F.: Jesus Christus tormentis jactatus, sanguine perfusus, innocens velut agnus ad occisionem ductus subeat semper animis nostris. Passionis J. Christi assidua cogitatio cuique obversetur semper qui Christum sectatur, maxime vero omnium nos tangat, excitet, permulceat, cujus adlecti sumus ministri, cujus vicibus fungimur. Hic liber mentem acuat, hic inflammet corda, hinc initium, huc omnia vertant, ut merito dicere possimus cum Apostolo: « Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi — » (1)· Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (2) ». — Hæc meditatio nunquam non cara, dulcis, suavissima Sanctis, hæc veluti scala, qua cœlestia mente inierunt, qua sibi eas compararunt virtutes, quas orbis est universus demiratus, qua ad eam sunt demum gloriam provecti, quam felicissimi qui consequuntur, et vere sapiunt qui unam exoptant. Cogitanti autem quonam potissimum tempore esset mandanda ratio hæc precandi, illud se obtulit statim, quo effrenis bacchatur licentia, et facilius Fideles comessationibus, ebrietatibus, impudicitiis

(1) Ad Gal. 6, 14 — (2) 1 ad Cor 2, 2

indulgent, alii[s]que cupiditatibus, quarum vel ipsa nomina ab Apostolo vetantur, quæque hac tempestate, eo devenimus rerum, ut levia omnino habeantur. Redemptori igitur oranti nostras adjungamus preces, et gliscente undequaque peccato, Christo patienti nos obstringamus, Christi adhæreamus vulneribus, unde omnis salus, omne robur, omne subsidium, et quibus tot tantique qui obstant inimici fugari possunt, fundique. Ea igitur oratio, quam tradendus inimicorum manibus Patri obtulit Redemptor noster, gemitus, suspiria, lacrymæ, guttæ sanguinis decurrentis in terram, humilitas illa, charitas, patientia, quæ mirum in modum effulgent in Christi passione, perfundant mentem et corda cujusque nostrum. Christi Jesus passionis memoria sive sacrum facitis, sive prolapsos fratres venia recreatis, sive verbum Dei annunciatis, menti hæreat vestræ, hæc recordatio enim domatrix vitiorum, virtutum magistra, schala qua pertingitur cœlum.

Alterum Officium spectat solemne ac percelebratum illud miraculum Ss. Sacramenti, quod Augustæ Taurinorum accidit die 6 Junii anni 1453. Incredulitas ætatis nostræ, quæ nullo forsan præpedita modo nititur omnia pessum dare, quæ in Ecclesia sanctiora sunt, horribile dictu! nec huic pepercit miraculo, in quo maxima illius civitatis gloria, quodque incolæ omnes qui vere sapiunt suspiciunt, mirabantur. Nondum animo excessere, V. F. quæ ore teterrimo et perlito veneno evomuere hoc qui ad finem vergit anno, homines, quibus nihil pensi, nihil moderati. Hæc simul atque audivimus, perlegimus, artubus veluti contremuimus totis, horruimus, hæsit vox, et ut meo vestroque dolori quandam medicinam adhibeam sanctissimoque Mysterio potissimum vel a nobis, quod ereptum fuit, reddatur decus, e re putavi a S. Sede id contendere ut etiam in Diœcesi nostra hoc Officium celebretur. Faxit Deus, ut ego qui loquor, vos qui verba mea excipitis, cæterique omnes quorum saluti operam damus, tanto erga Sacramentum incendamur studio, ut quisque nostrum æstuet, eaque nobis bona hinc obveniant, quæ fidem hujusmodi, pietatemque comitantur. Quid enim « hoc convivio pretiosius, ad rem Angelicus Doctor », quid hoc Sacramento mirabilius? In ipso namque panis et vinum in Christi

corpus et sanguinem substantialiter convertuntur (¹) » Ad nos autem pertinet tueri altare, in quo coelum redactum est in angustum, illud propugnare tabernaculum « quo Deus inclinavit coelos et descendit (²) », illam a nequitia vel etiam sanguine hostium vindicare, in qua vita, passio, mors Christi renovatur, et sollicita cura providere, ut et qui accedunt ad sacrum pabulum, et qui ministrant omnis sint labis immunes, nihilque praeseferant, quod non deceat rem omnium sanctissimam

Ecclesia semper id operam dedit, ut decus, obsequiumque ne desit Mysterio omnium sanctissimo. Huc spectant quae a Sacris Canonibus fuerunt saepe numero decreta de loco, modo, decentiaque quâ corpus Christi asservari debet, ut prae caeteris nobis ingerit Conc. Lateranense iv. cap. *Statuimus*, Tridentinum, et Mediol iv. Menti proinde semper obversentur nostrae verba David ad Natan prophetam. « Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? » (³) — et eanetos timore percellat Aggaeus Propheta: « Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? (⁴) » — Nitamur igitur, F ut domui sanctae Dei, ad quam est pavendum, ne desit splendor, munditics, decus, eaque omnia quae Eucharistiam maxime pertingunt ita sint comparata, ut liquido constet nos nulla ex parte decesso reverentiae, qua tam grande mysterium est prosequendum. « Quantae enim confusionis opprobrium est, ita S. Petrus Damiani, quod nonnulli (forsan quamplurimi) in squallido linteo Dominicum Corpus offerunt et involvunt, et quod non dignaretur potens quilibet, qui tantum vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris (⁵) ». Videat et horrescat qui vel pudore vel timore vel negligentia vel avaritia aut aliqua alia ratione praepeditus id neglectui habet, quod maximi ducendum: mihi credite, Fr. desidia nostra alios saepe reddit oscitantes. Quoniam autem res postulat pro tempore quisque scandala avertat, impiorum audaciam ne patiatur animo aequo, fortis et animosus appareat, aestuet

(¹) In Opusc 57
(²) 2 Reg 7 2
(³) Lib iv Ep 14
(⁴) Ps 17 10
(⁵) 1 4

zelo pro domo Dei. Insuper qui concreditum sibi gregem vult, ea ratione qua par est, tueri, sæpe ad hoc pabulum ducat, de synaxi Ss^a^ qua publice, qua privatim loquatur, et in tanta malorum in dies ingruentium colluvie ad hanc veluti arcem omnes confugiant, in qua vis, robur, fortitudo animorum.

Tertium demum Officium est de Virgine Sanctissima **a Succursu** nuncupata, idque in mense Junii, ut quolibet mense magnæ Dei Matris subeat recordatio. Nullus erit, ut reor, qui me arguat et deputet me rem augere nimiumque efferri, quum audiat dicentem cum Apostolo, « Dies mali sunt » (1). Quis enim non videt in Ecclesiæ principem, in Religionem, in mysteria ipsamet sacrosancta arma sumi? Quot homines sunt peraudaces, qui hodierna die sermone et scriptis omni ope nituntur ut rem sacram corrumpant, ut fideles a Petro, ideoque a Christo avertant? In tanta rerum calamitate ad petram illam, super quam ædificata est Ecclesia Christi, oculi omnium animique semper convertuntur. Veruntamen teterrima jactati tempestate Patri fidelium vexillum explicanti e rerum fastigio, omnes quidem nomen dabunt? Dum philisthæus Sionem invehitur omnes stipendia facient duce et auspice Illo, pro quo rogavit Christus Jesus ut fides non deficiat? Omnes arcam inibunt, quæ una est erranti perfugium? « Judicia (Dei) abyssus multa » (2). Væ tamen illi, qui suis innititur viribus: illum sane refert qui sperat in baculo arundineo, atque confracto « super quem si incubuerit, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam » (3). Figuris obtectam explico sententiam: filii matrem lacerant, cujus in sinu nati sunt, et alii, Ecclesiæ moliuntur insidias; nos autem stabiles erimus et immobiles, abundantes in omni opere Domini semper? Animum non despondeamus. Post Deum in Virgine Sanctissima de Succursu spes nostra est reponenda « quæ omnibus omnis facta, ajebat D. Bernardus, cunctis charitate copiosissima Se debitricem fecit: omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, ut non sit, qui se abscondat a calore ejus » (4). Ipsa enim firmamentum est omnium fidelium, ipsa præsidium omnium, qui invocant

(1) Ad Eph. 5. 16

(2) Ps. 35. 7

(3) 4 Reg. 18. 21

(4) De Verb. Apoc. Sign. magn.

eam, ipsa consolatio spiritus, vita, mater omnium christianorum, quos numquam non est in necessitatibus opitulata, ipsa quæ semper intereunt omnem hæreticam pravitatem, quæ jactatam Petri naviculam vindicavit, portumque tandem aliquando subduxit. Et ro quidem vera, ut prætermittam ab ætate nostra dissita exempla, quæ memoriæ mandarunt Summi Pontifices Innocentius IV, Paulus II, Bonifacius IX, Leo IV, Urbanus II, S. Pius V aliique, qui ærumnis et calamitatibus temporum exagitati huic veluti anchoræ salutis adhæserunt et maximam opem sunt experti, quis non meminerit Pium VII, qui jure et merito Virgini Matri acceptum retulit suum e captivitate reditum in Urbem anno 1814, et deinde pacem, lætitiamque Ecclesiæ restitutam? cujus non hæret menti Gregorius XVI magni semper apud fideles nominis, qui ad Mariam confugit, ejusque præsenti ope conspexit eam sedari procellam, quæ ineunte regno undequaque effervebat? cui tandem non subest Pius IX, qui ut cæteri in Sanctissimam Virginem pientissimus, illius auxilio, immiootam vidit, depressamque audaciam eorum, qui S. Sedem, Romam, adeoque Italiam totam tot tantisque damnis affecerunt? Hæc seetemur exempla, hæc cæteris proponamus animumque imbibat quisque Christi passionem, Eucharistiæ Sacramentum, pietatem erga Virginem ab omnibus, qui sanctitate et scientia fulserunt, maxime commendari, magnamque et singulare esse in Ecclesia præsidium.

Novariæ, Kal. Oct. 1852.

✠ **JACOBUS PHILIPPUS Ep. Novar.**

Isaac MORERA a secretis.

392

NOVARIÆ

Ab Episcopali Typographeo Hieronymi Miglio

NOVARIÆ

Ab Episcopali Typographeo Hieronymi Miglio